



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 167. Quænam præterea pactiones hîc licitæ sint, & quomodo circa permutationes possit aliter committi simonia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

beneficialia, quæ à beneficiis separari non possunt absque auctoritate Papæ: poterunt tamen liberè permutari fructus præsentis & futuri, uti & vendi possunt, quia sunt merè temporales & de se omnino separabiles à beneficio ac præbenda, *Suar. Pirh. n. 23.* Vide etiam *Less.* in auct. v. *beneficium cas. 9.*, ubi fusè disputat, quomodo beneficium afferens actu fructus possit sub pensione permutari cum alio afferente fructus tantùm in spe.

§. II. *Gamb. Senis, Az. Chok.* apud *Leur. q. 862.* 1105  
dicunt licitam esse permutationem, cum pacto, ut compermutans refundat expensas in conservationem vel meliorationem beneficii factas, quia est onus beneficium incumbens, sed videri debent dicta n. 1061., quæ hic cum proportione applicanda sunt.

Q. 167. *Quanam præterea pactioes hic licite* 1106  
*sunt, & quomodo circa permutationes possit aliter committi simonia. R.*

§. I. Si permutantes independenter à Superiore absolutè conveniant de pensione, compensatione vel re alia beneficiis extrinseca præstanda, est simonia, si tamen fiat sub conditione, si Superior approbet, & secundùm dicta de resignatione n. 1063. non est illicitum, quia non est permutatio, nec simpliciter pactio, cum eam suspendat conditio: Imò quamvis obligarent se ad non revocandam illam pactioem conditionatam, donec sit præsentata Superiori, ut approbet vel reprobet, probabiliùs putant *Panorm. Silv. Suar. Castrop. Diana, Pirh. Rayn.* de benef. l. 2. s. 1. c. 2. n. 11. *Leur. p. 3. q. 844.* pactum licere & obligare, quia non est per se malum, nec prohibetur ejusmodi tractatus de permutando, sed tantùm permutatio, rati habitio autem futura, sub qua fit conventio, non expectatur ut dispensatio, sed ut ordinaria quædam validatio & impetratio authoritatis.

1107 §. II. Quomodo committi possit simonia confidentialis in permutationibus, dictum est l. 3. p. 1. n. 67.; quomodo autem alia etiam simonia sæpe in his committatur, satis indicatum est ibidem & hic per decursum.

1108 Q. 168. Intra quod tempus perfici debeat ac publicari permutatio. R.

§. I. Non est à jure statutum certum tempus, intra quod beneficia permutata conferri debeant: Dicunt quidem rectè *Garc. & Leur.* p. 3. q. 865. n. 2. vi *Constit. Greg. XIII.* debere intra mensem admitti vel rejici permutationem, putantque etiam intra mensem debere fieri provisionem, sed vide dicta n. 1030., quæ etiam hic valent.

1109 §. II. Permutatio publicari debet, eo modo, quo dictum est à n. 1036. de resignatione, debetque publicatio fieri ab utroque permutante, uti tenent *Paris. Az. Chok. Leur.* q. 776. contra *Nav. Barb. Ventrig.*, Putantes satis esse fieri ab alterutro: si tamen ab uno eorum negligatur, id non nocet alteri, *Gonz. Paris. Tond.* apud *Leur.* q. 871. n. 4. Et debet hæc publicatio fieri intra tempus notatum de resignatione n. 1071.

1110 Q. 169. Quid dicendum sit, si permutatio non habeat effectum, vel si non servetur conditio apposita. R.

§. I. Si permutatio non habuit effectum, uti si resignatione ab uno factâ alter noluit aut non potuit vicissim resignare, posse primum sine nova collatione redire ad suum beneficium, docent *l. Andr. Franc. Senis, Roffin. Duar. Paris. Less.*, quia resignavit sub conditione, si non suspensiva, saltem resolutiva, ut suum beneficium cum alterius beneficio commutetur, & conditione non impletâ non fuit voluntas abdicandi jus, adeoque beneficium ejus non videtur vacasse,